





ZG.  
LXV.

1735, 19.

FRVCTVS PACIS  
**XXII. CANDIDATI**  
QVI  
**MAGISTRI CREATI SVNT**  
MAGNIFICO ACADEMIAE  
RECTORE  
**IO. FLORENTE RIVINO**  
PANDECTARVM PROFESSORE PUBLICO, ECCLESIAE  
NVMBVRGENSIS ET WVRZENSIS CANONICO, ILLVSTRIS  
ICTORVM COLLEGII ASSESSORE, HEREDITARIO DOMINO  
in Neu-Muckershausen REL.  
PROCANCELLARIO  
**CHRISTIANO GOTTLIBIO**  
**IOECHERO**  
DOCTORE THEOLOGO, HISTORIARVM PROFESSO-  
RE PUBLICO MAIORIS PRINCIPVM COLLEGII SOCIO  
ET  
DECANO  
**AVGVST. FRID. MVLERO**  
ORGANI ARISTOTELICI PROFESSORE MINORIS  
PRINCIPVM COLLEGII SOCIO  
CANTATI  
A  
**FRID. MENZIO P.P.**

---

LIPSIAE  
LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL.

20

LUGDENS VICES  
XXXI CANDIDATI  
MAGISTERI CREATI SANCTI  
MAGNUS ACADEMIAE  
RECTORIS  
IO. FLORINTI RIVINO  
CHRISTIANO GOTLIBIO  
TOCHERO  
PROGENITIBUS  
CHRISTIANO GOTLIBIO  
TOCHERO  
DECANO  
AGAS. RIED. MULLER  
ORGANI CONSORTIUM ROTUNDORUM MURORUM  
CANTATA  
ERID. MENIGO FR.  
LITERIS IO. CHRISTIANI VACCELLI



Tia, quae cecini vates, optata Ca-  
menis,  
Nunc constant, Deus illa dedit, rin-  
gente furore  
Bellona; Musae rident, Charites-  
que pudice  
Exultant tenerae planta, vocemque canorae  
Attollunt; nihil at metuunt, montemque pererrant;  
Trux fugit, et tristis Mauors, hastamque reponit,  
Sic galea nudatque caput, gladiumque recingit,

A 2

Delu-

Delusus verbis Bellonae, et falsus, Iberae:  
Iratus, durus, faber impiger adstat, iniquum  
Tristis opus tractans, ensenque, hastamque refingens  
Ingemit, atque acuit ferrum, quo vomere vertat  
Rusticus insontem terram, lolio atque cruento  
Deformem, effoetam, ruri spes omnis ademta  
Quando fuit; senis et Rheni quando accola fugit,  
Vitibus atque herbis variae cultorque Mosellae;  
Atque Padi ripae ciues, Athesisque coloni  
Deseruere pios Lares, araque, focoque  
Rellictis, nudi, extorres, curaque pauentes:  
Spes aluit miseros, spondent meliora propinquia:  
Destituit caussam Gallus; Medea laborat  
Celtica, fraude potens, parili verum arte retusa  
Excidit eximia spe, vastaque regna remittet:  
Sic cecidisse nocet, mendax quum machina fallit:  
Allobrox haeret dubius, pacemque requirit  
Incertus regni veteris, cupidusque nouorum,  
Perfidia metuens poenam, quam tardior ira,  
Durior at, Nemesis, sero, certoque, rogabit.

Sic

Sic agitur melius Musis, spes alba refulget,  
Omnis inest fructus paci, qua viuitur vni  
Ingenio, quod non moritur, nec tangitur vmbra,  
Solum quod semper viuit, nec vincitur aeuo.  
Pax optata bonis, nostris pax redditia Musis:  
Spes noua sic lucet, laetae luduntque Sorores  
Germanam amplexae Diuam, quia Pacis amantes:  
Affurgunt casti pueri, spectantque pudentes  
Hac specie capti, totique replentur amore  
Sacro doctrinae ingenuae, quo viribus auctis  
Contendunt fortes studiis, animoque virili.  
Carminis haec ratio est nostri, res digna calore  
Est sacro, sed Musa faue, tua gloria curae est.  
Vrbs non ampla situ, nec sulcus latior auctus,  
Dicta Ipsilla fuit Musis, quae lingua Deorum est;  
Albia terra colit decus hoc, quod nomine magnum,  
Numine diues habet, quo praestat pluribus vna:  
Sanctius hac nihil est diuis, quae monte relicto  
Descendunt, tiliisque petunt, per prata vagatae:  
Cingunt trini amnes vrbem, et pomoeria lambunt:

A 3

Inde

Inde rosata virent, pandunt per flumina ramos  
Riuales salices, nidos vbi construit ales  
Cantatrix, laudata viris, adamata Camenis;  
Theffala dixeris haec Tempe, vel Olympica vera;  
Perluit et Peneus, montis vocat incola Plissam;  
Pardulus hunc nutrit; limpha post crescit Elistrae:  
Officio sacer ipse locus, sacer vndique nidor  
Praestringit nares, perspirat laurus adusta:  
Satque fauet coelum, perflat diuinior aura;  
Omnia conspirant, nihil est non terfa voluptas:  
Delphica sic pubes propero aduolat vndique cursu  
Lata pio studio, dueti sunt Architheoro:  
Rem faciunt sacram laeti, referentque coronam  
Sacra de lauru plexam, Phoeboque dicatam.  
Sed videas quales sint nostri: cura Mineruae  
Haec prima est: pura et pia mens; virtute subacti  
Mores sint sancti, sine fuko et crimine, veri;  
Absit suspicio fraudis; sit candor in ore,  
Quem gestus prodat seruato in fronte pudore:  
Virgineus verbis noster, tener, atque pudicus:

Nil

Nil temere émittat dictum; nil non bene cultum:  
Ornatumque habitus referat, nil sordibus atrum  
Ostentet: neglecta decent, sed pallia munda,  
Qui studet, vt placeat; virtus ornata decora est:  
Sic Nymphae cupiant comtum; sic Pieridesque  
Conducent Musae, Fratrique Patrique probabunt,  
Laudantes habitum, formam, moresque venustos;  
Atque piae rogitant vultus, nutusque benignos  
Aduertant pueris, inspirant flamme sacro,  
Et coelo tollant, repleant vt numine mentem.  
DI pietate noua moti, specieque decora,  
Accedunt votis, curant hinc nomina scribi,  
Heroasque iubent dici per secla futura,  
Victuros fama, terra, coeloque canendos.  
Conuocat et Coeli Rex maxima nomina Olympi,  
Concilioque sedet medius, poscitque senatum  
Doctorum, vt lectos lustrent, et cautio fiat,  
Neu temere irrumpant, populus, vulgusque profanum,  
Inficiantque sacrum coetum; neue ordine verso  
Agmen conturbent veris tironibus auctum.

Auscul-

Auscultant superi dictis, arcentque nefandam  
Infestam plebis turbam, sine lege ruentem;  
Atque decus seruant dignis, putresque repellunt:  
Nullus honos numero est, virtus vbi sola putatur;  
Census nil praefat; veteris nec imaginis usus,  
Si rude nil petitur; si non nisi pulcra ferentur,  
Nil emitur precibus; nihil et conducitur aere,  
Dum bona mens agitur, virtute et flexilis aetas:  
Hanc superique colunt, nostri laudantque Catones,  
Censores digni, diuino iure vocati.  
Acta placent superis, respondent Numina voce,  
Excipiunt placidi iuuenes; Horaeque citatae  
Imperium Phoebi accipiunt; Musaeque forores  
Nectar perfundunt laetos, sacroque calore  
Incendunt animos, hyblaeo melle perungunt,  
Dignos quos coelo faciant, terraeque futuros  
Optatos, bene qui mereant virtutis amore.  
Conspirant reliqui coeptis, operasque vicissim  
Quisque suas reddet: partes sed Iupiter aequas  
Distribuit, nutuque regit, coelumque gubernat:

Primus

Primus Apollo loco est, sacro qui corda replebit  
Igne Deus, laurumque sacram, sua munera, tradet:  
Vrget opus Pallas magnum, cui sedula cura est  
Mentis, quam castam format, doctamque remittit:  
Orator coeli varius, sed nuncius orci  
Dicendi leges reddit, linguamque volucrem  
Fingit: sed dictis addit decus atque leporem  
Ipfa Venus pellax, cuius capit omnia virtus:  
Nec desunt Marti partes, sed robore pectus  
Confirmat, duratque animum, quo ferre labores  
Nil fugiant molles pueri, curasque viriles:  
Altius assurgunt animo, sublime petentes  
Reginae nutu coeli, quae fulmina tentat.  
Sic alti redeunt coelo, doctique Magistri  
Redduntur frugi terrae, quo premia digna  
Concipiant virtute noua, meritisque decora,  
De coelo laurus missa est, quae tempora cinget;  
Plaudite sodales, eadem vos gloria spectat,  
Et dicit virtus, aures adferte sequaces;

B

IOAN-

IOANNES GODFRIDVS SCHMVZERV  
CLEIDENENSIS

Cleidena in agro Lipsensi est, et eius Pastor Ecclesiae  
Admodum Reuerendus Senex, M. Ioann. Sigism.  
Schmuzerus, qui filium ex Matre sustulit Ioanna Ger-  
trude Cademannia clo lo cc xv. d. XXVIII. Maii. Puerum,  
cum vno literarum amore captum cognosceret, Optimus  
Parens primis elementis ipse erudiuit; et inde M. Clementem,  
in signem formandis ingenii magistrum, in partes ad-  
vocauit; qui eo perduxit adolescentem, ut in scholam  
Grimmensem prouincialem iure posset admitti; receptus  
in contubernium Musae alumnorum, doctrina profecit,  
Hauptii, Vlischii, Partschkii, et Ermelii, qui eundem in  
primis dilexit, quod beneficii insignis loco habet, et gra-  
tus praedicat: sed aegre triennium conficit in grato diuer-  
ticulo, quando aduersa valetudine preslus, sedem mittere  
coactus est, vt mutato coelo sanitati consuleret: Numburgum ergo ab Optimo Parente ductus, paeceptoribus  
est traditus fidis non minus, quam doctissimis viris, Scho-  
chero, et Stemlero; cuius etiam praesidio disputationem,  
praeter Scholae morem, publice defendit, qua Scholasti-  
cas Disputationes vindicauit. Vbi Numburgo abiit, ipsi  
gratulatus est, programmate edito Peucerus, de Philoso-  
phis *ἀντιτίθεν μέχει τῷ λέγειν*. Lipsiam inde venit  
anno clo lo cc xxxii. quando fasces Boernerus tenuit, qui  
eundem inter ciues scripsit; et sic Mullerum Philoso-  
phum adiit, et per biennium, publice et priuatim docen-  
tem auscultauit; et cum Menzio disputando se se exercuit;  
et Physica Experimenta spectauit: Hebraeae linguae ele-  
menta Sanckius tradidit, cum Accentuum doctrina; sed  
Hebenstreitium publice Philologiam Sacram professum au-  
diuit,

diuit, et longius proficit. Theologiae sacra dogmata Pfeifferus exposuit, et Wollius, quibus Weissius Polemica addit: Exegeticam acroamaticam, et criticam in sacros libros Wollius exercet: et Boernerum publice Theologiae locos docentem sectatus est, cui etiam, Sacrorum per Lutherum Emendationem, demonstranti, frequenter adest. Historiam Ecclesiasticam Deylingio debet, cuius etiam examinibus, et disputationibus intereft: sed Oratoriae Sacrae pracepta a Wollo accipit.

## IOANNES GODOFREDVS SIBERVS LIPSIENSIS

Nihil frustra gloriati sunt Graeci veteres, si Athenis nati, Net educati essent, quoniam exempla virtutis excitarent, ad parandam, bene agendo, gloriam: sed nec minor felicitas est patriam colere Lipsiam; et decus illustrius est, domini minus videre, quorum vestigia pressisse proxima ad laudem via est: id obtigit Sibero nostro, senatoriae dignitatis Maioribus genito: natus namque est anno c. lccxv. d. XV. Aprilis Patre Ioanna. Georgio, prudentia, et dignitate Spectatissimo, Aedili Lipsiensi, et Templo ad D. Ioannis Praefecto: matrem habet Ioannem Margaretham, Godfrido Heinio, Senatore Francofurtano ad Viadrum, genitam, muliebri virtute, et rei familiaris prudentia, insigniter ornatam: Literarum amore, cum teneri perspicerent filium, miniine deterruerunt parentes, sed ut strenue percurreret, magis incitarunt: hinc de Praeceptoribus eligendis sedulo dispexerunt, quorum omnium monitis obsecutus puer est, et magistrorum industria proficit, donec Hebenstreitios, praeclaros ingeniorum formatores, Io. Christophorum,

nunc Archidiaconum Neostadiensem, et inde Io. Christianum, nunc Doctorem Theologum, et Linguae Hebraeae Professorem Publicum Lipsiensem, natus est, qui publicis Academiae nostrae scholis praeparatum, idoneum reddiderunt, et qui publicis Doctorum praelectionibus adcessit, quod grata memoria se retenturum, pius discipulus testatur. Sicque anno cl<sup>o</sup> 10 cc xxxii. a Rectore Magnifico Christiano Friderico Boernero admissus, et in Album Academicum relatus est. In principio statim philosophiae se dedit, et Mullerum Professorem adiit, quem audiret; et cum Hoffmanno Doctore Logicam exercuit, et Iuris Naturae praeccepta exceptit: inde Physicis demonstrationibus, et experimentis Menzii interfuit, quibus nunc et operam impendit: Non minimum vero Eloquentiae studio dedit, ideoque Kappium optimum ducem, publice, et priuatim docentem, sectatus est; cuius etiam praefidio ex publica cathedra, de Xiccone Polentono disputauit; et priuatim eius ductu disputando exercitatus est, et epistolam de Socratica disputandi methodo scripsit: Antiquitates Romanas Christius euoluit, quando Liuium et Tacitum recensuit: Ad Ius Romanum quando propius accessit, Gebauerus Historiam praecivit, et Pandectas explicavit, quarum etiam interpretem Reichelium Doctorem habuit. Historiae Germanicae, et Iuris Publici doctrinam Mascouio se debere profitetur: et Feustelius Historiam Regnorum enarravit; Vernaculae etiam cultu, et eloquentia Schelhaferus formauit, qui etiam disputando praefuit.

## IOANNES PETRVS NETTO

L ipsiae natus est anno cl<sup>o</sup> 10 cc xiii. Petro Patre, qui curio est senior eorum, qui ephippia consuunt; matre Maria

Maria Elisabethia Hermannia, eidem curiae Praefecto Patre  
genita: Puer ingenuis artibus et litteris a Parentibus desti-  
natus, priuatorum paedagogorum curae ad annum deci-  
mum quartum traditus est; et post quam eorum industria  
processusset, in Gymnasium Altenburgense missus, et ductu  
clarorum virorum, Gschwendii, Weberi, Sternii, Wei-  
sii, et Moerlini, progressus fecit, quod gratus praedicit be-  
neficium: sed Lipsiam, quadriennio exacto, reuersus, no-  
men ptofessus inter ciues est, et Philosophiae operam de-  
dit Gottschedio auctore, qui et Rhetoricam, et Poeticam  
docuit: inde Richterum adiit, qui Matheos lineolas du-  
xit: Hausenius autem Physicam demonstrauit, experimen-  
tis additis: Eloquentiae praecepta Kappius dedit: et Ioe-  
cherus Historiam Germanicam enarrauit: Hebraeae Lin-  
guae fundamenta Weisius ecit, quibus Hebenstreitius in-  
struxit; et Chaldaeae linguae elementa adiecit, et Accen-  
tuum regulas. Theologos audiuit Klausingium, et Pfeif-  
ferum: sed ab Deylingio prudentiae theologicae leges nunc  
accipit, cui etiam in examinibus priuatis respondet: Sa-  
cram Eloquentiam a M. Friderici discit: et sic satis instru-  
ctus primam in Philosophia Lauream obtinuit anno proxu-  
me elapsò.

## ANDREAS POLYCARPV LEYSERVS

MARTISBURGENSIS

Celebratum per vtramque ciuitatem nomen Leyserorum  
est: sed Theologis potissima debetur originis gloria;  
ad hos natales refert Andreas Polycarpus, qui Patri Poly-  
carpo, Episcopatus Martisburgensis olim Superintendenti,  
anno clo lo cc xiii. d. XXIII. Novembr. natus est, ex Ma-  
tre Augusta Dorothea gentis Bastinellerorum: a prima  
aetate destinatus fuit literis, ideo statim puer praecepto-

B 3 rum

rum industriae permisus est, qui tenerum informarent animum, quanquam non minor Parentis cura fuit, quando per muneris ardui rationes licuit: primam operam Regis collocauit, et inde Oertelius: sed Optimo Patre orbatus est iam anno vigesimo quarto seculi, quo agimus, et Matris viduae curae vnicce relictus; quae nulla re filio educando defuit: aduocauit ergo M. Wanckelium, qui sedula opera eum curaret, quod ille tanta industria per biennium praestit, vt gratias, nunquam morituras, ab discipulo meruerit, quanquam ipse fatu iam intercidit: prudente piae Matris consilio, ita instructus, in Portense Lyceum dimisus est, exceptus a Schrebero tunc Rectore; quem Freitagius fecutus, eandem beniuolentiam, et curam, tironi adiubuit, quod non ingratus ipse in memoriam reuocat; nec Walthero, Schrammio, Stubelio, Hentschelio, Weidnero, Hubschio, et Bernio, successus in literis, partes denebat. Quinque annis amplius versatus in hac Musarum fede, et Lipsiam pertraetus est; anno c<sup>1</sup>o I<sup>o</sup> cc xxxii. a Boernerio Rectore ciuium insertus numero; et Mullerum, Philosophiam docentem inuenir, et eumdem diligenter audiuit: sacrae Theologiae mysteria Hebenstreitius, Tellerus, et Weisius filius, panderunt: Ioecherus vero, et Bayerus, vtramque Historiam explicarunt: et Sacrae Linguae cognitionem Hebenstreitius suggestit: vernaculae Eloquentiae fontes Gottschedus aperuit: cum quibus omnibus, et Gallicae et Italicae usum sibi consciens: ex merito primam Lauream Philosophorum ordo nuper contulit, ex quo publice, Praeside Marchio, Iurisprudentiam Pauli Ap. ad Gal. IV. i. disputando asseruit.

IOAN.

IOAN. GOTTFRIDVS HAVPTMANNVS  
HAYNENSIS

**H**aynae Misnicae anno c<sup>lo</sup> Io cc xii. d. XIIIX. Octobr. natus, Patre Stannario: sed vtroque parente infans orbatus est, et in familiam receptus ab Ioanne Adamo Meinerio, Amitae marito, qui filii loco puerum habuit, et educavit, adiutus ab Auunculo Io. Gottfrido Schaffio Mercatore haud incelebri, Vrbis Consule, cuius in se merita memoria veneratur: Pueritiam transegit in patrio ludo, praceptoribus vsis, Camentio, Kaestnero, Foertschio, et in primis Hederichio, qui triennio de studiis meruit: priuatum vero patruelis sui Io. Georgii Hauptmanni operam expertus est ad literarum incrementum: exacta pueritia in illustre Musarum sacrarium Portense, anno c<sup>lo</sup> Io cc xxvii, abiit, et insignes Doctores reperit, Bernium, Schmidium, Hubschium, Weidnerum, Hentschelium, Stubelium, Schrammum, Beslerum, Waltherum, Schreberum, et, cui in primis debet, Freitagium: sed exacto tirocinio in hoc delubro, Lipsiam contendit anno c<sup>lo</sup> Io cc xxxiii. et Rectori Lehmanno nomen dedit, quod in ciuium Album scriberet, quo impetrato, ad Philosophiam animum conuerit, et Mullerum audiuit: humanarum literarum cultum Kappius perfecit: Ciuii Historia Mascouio, et Ioechero se dedit, et Christio: sacrae vero Theologiae studio Boernerum, Deylingium et Kortholdum, auctores habuit: Poeticam vernaculaam Gottschedus docuit: Linguam Hebraeam Clodius et Hebenstreitius tradiderunt: Theologiae arcana dogmata aperuerunt, primo loco Boernerus, qui maxime fuit; inde Klausino adhaesit, et Deylingio, Pfeiffero, Weisio, et Wollio Theologis. Morum doctrinam, ex facris legibus repetitam, Tellerus reddit: et sacrorum Exegesi

gesi Pfeifferus duxit; oratoriam artem Hofmannus exerceuit; et disputando prafuerunt, Hebenstreitus, Menzius, Kappius, qui patrocinium potissimum indulget, quemque Praefidem elegit, quando publice de Laconismo ex cathedra differuit: Literarum vero, quae humaniores faciunt, amore praecipue captus, Eloquentiae, Poeticae, et cultioribus linguis, operam impendit strenue.

## GEORGIVS GOTTLIEB FEIGIVS KREIBA SILESIIVS

Silesia foecunda ingeniorum mater est, et inde originem Feigius trahit, quem Pater genuit Vir Admodum Reverendus M. Gottfried Feigius, Palaeo - Kreibensis Ecclesiae Pastor, ex Matre Anna Catharina, gentis Sutoriae; natus anno cloccxvi. d. XII. Nov. Dudum cognitum, et meritum in Ecclesiam clarum, Feigionem nomen in Silesia est, et nostri Auus Venerandus Senex per sex et triginta annorum seriem Kreibensi prafuit coetui, et inde Haynensti Circulo Senior datus est: Tritau memoriam poeta monumento seruauit, quod nunc exstat.

Inter Maiores Abauus Laurentius unus  
Virtute insignis ciuis, Goldberga beata,  
Ter septem vidit partus; de semine vidit  
Ducentosque suo, dum vita est florida, natos.

Patris preeceptis noster principio obediuit, et doctrinæ elementa cepit; nec minus sua monita Maternus Auus, M. Sutorius, Pastor Altzenauensis addidit: Sed Christianus Kallertus, Bayerus, et Meisnerus, iuuentum inde rectius formarunt, vt in Goerlizense Athenaeum posset transferri, vbi Grosseri, Mylii, Mulleri, Euchleri legibus paruit, et luculentiorem doctrinam percepit, et Linguis, Graeca, et Latina, profectus fecit: Septennium ibi exegit, et satis praepa-

praeparatus Lipsiam contendit, anno c<sup>lo</sup> l<sup>o</sup> cc xxxiv, et a Rectore Kappio iura ciuitatis obtinuit; sive Philosophiae studio, Mullernm auctorem sectatus est: Theologiam vero omnem Pfeifferus tradidit; et Wollius Exegefi, Morum sacra doctrina, praefuit, et concionandi praecepta exposuit: Linguae Hebraeae rudimenta Sanckius fecit: Hertelius vero Lingua Graeca edocuit, et disputando exercuit.

## ALBERTVS FRICKIVS

VLMENSIS

Vlma Sueorum patria Frickii est, vbi in lucem editus anno c<sup>lo</sup> l<sup>o</sup> cc xiv. XVIII. Septembr. Patre Maxume Reuerendo Ioanne Frickio, Ecclesiarum Vlmenstium Antistite, in Summo Templo Vrbis Pastore, in Seminario Ecclesiastico S. Theol. Professore Ordinario, Consistorii Affessore, Gymnasi Scholarcha, et Illustris Reipublicae Protobibliothecario; Matre Maria Sophia Spengleria, nobilis, et antiquae stirpis: crescentibus annis puer datus est curae publicorum Gymnasii Doctorum, et domesticae informationi praceptorum, qui nunc in agro Vlmensi Ecclesiae praefunt omnes, et olim adolescentiam rexerunt discipuli, eo quidem successu, vt anno aetatis decimo quinto Professoribus publice audiendis par esset, et non vereretur de Consensu Fidei Veterum Germanorum cum Augustana Confessione inter ipsa iubilaei solennia, perorare, et, moderatore Davide Stoelzlino, Con-Rector et P.P. O. Gymnasi Classibus valedicere; ex quo ciuum albo Tubingenium etiam inscriptus est, et Gymnasii patrii legibus vixit, et literis, in primis ad humanitatem ducentibus, et Linguis, Graecae et Latinae, operam impendit; historiad

C

etiam

etiam ciuili, et ecclesiasticae, Philosophiae, et Theologiae, industriae partem tribuit, ingeniumque disputando, et declamando, exercuit; sub praesidio etiam Ven. Patrui sui, Eliae Frickii, solenni ritu in conspectu Procerum de Satisfactione Christi, cum applausu disputauit: praeter hunc vero, Praeceptoribus auscultauit, Veielio, Algoeuero, Herrensteinio, Weihenmaiero, Stoelzlinio, et germano Fratri M. Io. Georgio Frickio, quos omnes veneratur, et gratias publice agit: omnium autem curam superauit Venerandi Parentis fedulitas, qua tempestiuē, et blande, monendo, et frequente consuetudine docendo filium per literarum studium egit, et exemplo virtutis, ad praeclara quaevis, incitauit, et sumptus conanti liberaliter suppeditauit: Triennio sic peracto, Ienam se conuertit, et a Pro-Rectori Kemmerichio ciuibus Academicis adscriptus est, et Philosophia, Philologia, ac Theologia Doctores audiebat, Walchium, Russium, Wuchererum, Zulichium, Buderum, Stollium, Tymplum, Koelerum, a quibus nunquam longius discensit, sed etiam nunc magni aestumat, et merita dilaudat: venit postremum Lipsiam, Optumi Venerandi Parentis olim delicium, et per annos decem altricem; hicque priuatim, et publice, Boernerio, Kappio, Ioechero, Clodio, industriuē se praefest auditorem. Sed his virtutibus mactum Philosophorum Ordo nuper prima Laurea decorauit, et dignissimum summis honoribus, nunc ornatum reddit.

## CAROLVS FRIDERICVS IOECHERV<sup>S</sup> LIPSIENSIS

**N**unquam Lipsia deficit ingenii, quo usque literis homines constabit: illa Ioecherum dedit, cuius Pater Wolf.

Wolfgangus Valentinus, Mercator olim, praematura morte adolescenti filio ereptus est: Matrem colit Barbaram Helenam, ex nobili gente Beckerfeldiana, Vratislavia ortam: puerum pii Parentes priuatis praceptoribus colendum, tradiderunt: sed post Patris obitum, nec minor cura sedulae Matris fuit, in educando liberaliter filio, quod summa pietate ipse agnoscit et grata mente veneratur: sed in partes vocatus est Patruelis Ioecherus, Historiarum nunc inter nos Professor, cuius auctoritatibz partem profectum tribuit Noster, et non sine fructu a consiliis eius se nunc pendere, profitetur: Sed cum domo, ex sinu amittendum, Optima Mater duceret, Porta proprium Musarum domicilium, praelata est, in quam adolescentis diuerteret, bonum factum; praceptores namque egregios naestus, qui animum virtutis lege subigerent, et literis replerent, Freitagium, et qui domo recepit, Schrammum, Stubelium, Hentschelium, Weidnerum et Hubschium, digna, quae laudentur nomina, qui in perpoliendo iuene operam contulerunt: emensus est quinquennium, quando Lipsiam resuersus est, a Kappio Rectore nostris ciuibz adscriptus, et iuribus auctus; sique Gottschedium salutauit, et Philosophiam docentem audiuit, et Ioecherum suum, Historiam enarrantem. Iurum vero interpretem Sigelium Doctorem sequitur: Gottschedio dicendi copiam reddenti affidet; et disputando cum eodem exercetur.

FRIDERIC. WILHELM. SCHLEVSNERVS  
GLESINA MISNICVS

Patrem habuit M. Fridericum Wilhelmum, Ecclesiae Gle-

sinensis Pastorem; Matrem Ittigiam, ex qua natus anno

C 2

clocc ix.

cloccix: sed utroque Parente dudum orbatus est: et postquam domi primis literarum elementis eruditus fuit, in nostram Nicolaitanam admissus, idoneos praeceptores nactus est, Crellium, nunc ad coelestes euectum; Drechslerum, et Ortlobium, qui cum laude scholae praefunt: anno cloccxxvii. in Academiam prodiit, quo optimus Pater diem obiit extremum, et novo stadio decucurrit; quando Philosophiae studium aggressus est, Olearium fecutus, et Mullerum, duces: et quia Theologiae sacrarum, in primis se deuouit, frequenter Schmidio assedit; et post fata huius, Klausingio et Pfeiffero: Hebraeam Linguam a Ludouici perdidicit, cuius in se merita, et liberalitatem amplissime dilaudat: Operam Carpzouio dedit, quando Sacras Antiquitates enodauit: Exegesim sacrorum publice facientem Pfeifferum auscultauit: Publice et ipse disputauit, M. Ludouici Praefide, de Motu Spirituum.

## CHRISTIANVS GOTTLIEB LVDWIGIVS BREGENSIS SILESIUS

**N**atus anno cloccix. XXX. Aprilis, Patrem colit Georgium, Sutorem; Matrem Annam Elisabetham Koerneriam: amore literarum captus, in schola patria nutritus est, diligente cura, Musigii, Schindelii, Thilonis, et Winckleri, qui omnes pariter meruerunt formando adolescentiam, et iuuentutem: Lipsiam venit anno cloccxxix, quo Schmidius fasces Academicos tenuit, et hospitem inter ciues recepit: Philosophia vniuersa Ioecherum audiuit: Physica Haufenium, et Menzium; Mathesi Richterum: Poetica vernacula, et Eloquentia, Gottschedius exercuit: publi-

publica disputatione virium periculum fecit, Praefide Hebenstreitio, nunc Physiologiae Medicae Professore, de Sensu externo Facultatum in Plantis Indice. Quando Regio nutu, anno clo Io cc xxxi. Hebenstreitius in Africam allegatus est, vt remotis longius terris, naturae opera et gentium mores, diligentius, et proprius, perquireret; Ludwigi nosfer se comitem dedit longi, et dubii itineris; quo feliciter perfecto, cum Musis denuo in gratiam rediit, et serio ad Medicam Artem se conuertit, et Doctoribus frequenter adstitit; Platnero, Physiologiam, Anatomen, et Chirurgicam tractanti: Hebenstreitio suo, quando Physiologiam docuit, et Plantas legit: Quelmalzio, quando secundi cadauera artem fecit: Plazio, vbi disputationibus praesedit: et Schachero, qui artis praxin demonstrauit: omnibus autem Waltherum patronum, et praceptorum fidum expertus est: ab anno clo Io cc xxxiv. Syluersteiniano stipendio beatior factus, alacriori animo rem medicam curauit, et beneficium in se collatum oratione, de Medicina Superstitionem debellante, laudauit; a suo etiam Ordine, post examen factum, Baccalaurei iure decoratus est.

## CHRISTIANVS FRIDERICVS HVHNIUS LIPSIENSIS

L ipsia Huhnium dedit, et Pater Ioannes Godofredus mercaturam exercet; Rosina Elisabetha Geisleria in lumen edidit anno clo Io cc xxv. d. XIII. April. pietatis, et religionis semina parentes insperserunt puero sedula cura; et cum literis idoneum discendis agnoscerent, tradiderunt instituendum praecceptoribus priuatis, qui ad altiora ducerent, quosque operae non poenituit, quando

publicis munieribus praefecti sunt; nec discipulus grata memoria non recolit beneficium in se collatum: satis vero, quae ad humanitatem ducunt, literas doctus, in publicum prodiit, et nomen professus est Academiae, ab Ludovici Rectore receptus, et ciuibus adscriptus, anno c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> ccxxx. Philosophia Doctorem elegit Ioecherum, cui per biennium adhaesit: et quando ad Historiam se conuertit, eundem secutus est, vel literariam, vel ciuilem, enarrantem: Mathefin ab Haufenio didicit. Hebraeam Philologiam Hebenstreitius edocuit: Exegeſi ſacra Pfeifferus praeinuit, et Theologiae praecipuis partibus; quibus etiam Deylingium, Hebenſtreitium, Tellerum, Wollium, Doctores, obtinuit: Pastoraliſ prudentiae pracepta Deylingius dictauit; Orationia ſacra Tellerus exercuit; et Boernerus exercitationes exegetico-Practicas iſtituit in clafifica dicta; cui etiam Reformationis Historiam publice repetenti, adſtitit.

## CHRISTOPH. GOTTHELFF MOLLERVS FREIBERGENSIS

**F**reiberga, antiquum opus, olim Hermundurorum sedes, metallifodinis in primis diues, vndique celebrata, Mollerum dedit anno c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> cc xl. d. ii. Aug. Patrem habuit M. Samuelem, Gymnasii Rectorem, virum praeclare doctum, et de literis, et iuuentute, egregie meritum; Mater est clara Elisabetha, Burgeriae gentis: Puer nondum Ephebus, ita priuatorum paedagogorum fidei creditus est, vt ipse Pater praeſet formando literis ingenio, qui et inde totum in ſe negotium conuerit, coniuncta quidem Collegarum in publico Lyceo, opera, quorum in ſe merita, Hassii in primis, et Lutheri, minime diffimulat discipulus: Non fine laude

laude diligentiae, Wilischiorum maxime benevolentiam  
expertus, venit Lipsiam, a Rectore Klausingio exceptus, et  
ciuitatis literatae iure donatus anno clo 15 cc xxxi. sicque  
Philosophiam proxime adiit, et Mullerum Doctorem ele-  
git, quem sectaretur; et sacrae Hebraeae Linguae studio  
Weisius, Hebenstreitius praefuerunt: diuinae scientiac ady-  
ta, Klausius, et Pfeifferus, aperuerunt: Boernerus, Dey-  
lingius, et Pfeifferus per Exegetin sacram duxerunt: Ho-  
miletica Friderici exercuit: Pastoralis officii praecepta Dey-  
lingius edidit: nunc in examinibus priuatis dicta repetit,  
et disputando virium periculum facit, mathematicis etiam  
deditus, ad quorum scientiam comparandum Richtero au-  
tore vtitur.

## SALOMO ROLLIUS

QUEDLIMBURGENSIS

**P**atria ortus Quedlimburgo anno clo 15 cc xii d. II. Iulii,  
Patre Christiano Friderico, qui choro tunc Musico  
praefuit Cantor per prouinciam; nunc Magdeburgum pro-  
vectus, eidem praefectus muneri: Mater Anna Sophia Kra-  
meria rei militari Praefecti filia est: cum in puero obser-  
uarent Parentes docile ingenium, et ad literas alacre, ipse  
Pater tenerum imbuuit rudimentis, ad annum aetatis deci-  
mum: ab eo in gymnasium Magdeburgense transtulit ado-  
lescentem, et Magistris dedit doctrina claris, Meineckio;  
Lucae, nunc inter coelites; Mylio, nunc Rectori Branden-  
burgensi, Bergnero, nunc defuncto; Walthero, nunc Re-  
ctori; quorum omnium ita profecit industria, vt anno  
clo 15 cc xxxiii. ad Lipsensem adspirare non dubitaret, quo  
veniens a Rectore Lehmanno ius ciuium obtinuit; et ad

Philo-

Philosophiae studium se proxume conuertens, Mullerum audiuit publice et priuatim: Physica Experimenta tentantem Lehmannum spectauit: Kappium Eloquentiae leges interpretatum obseruauit: Poeticam criticam Gottschedio debet. Linguae Sanctae praecepta Hebenstreitius explicauit; sed Clodius, et Friderici, auxerunt: inde ad Theologiam proprius accessit, et Pfeifferum; Boernerum; Klau-singium, et Deylingium, per omnes sacrae doctrinae partes, auscultauit: quorum omnium sibi praestataam operam, pro beneficio habet.

## IOANNES DIEDERICVS WINCKLERVS HAMBVRGENSIS

Hamburgum opulentissimum Germaniae emporium est, quod originem Wincklero dedit anno clo Io cc xi. XVII. Decembr. Maioribus Theologis magni nominis; Patrem colit Maxume Reuerendum Ioann. Fridericum ad D. Nicolai Pastorem, et Reuerendi Ministerii Seniorem; Mater Dorothea Manckenia est: Paterno Auo Ioanni Wincklero insignibus in Ecclesiam meritis aeterna constabit memoria. Postquam domestici praeceptores adolescentem ex ludo dimiserunt, in Gymnasium Hamburgense anno clo Io cc xxix. progressus est a Rectore Io. Christiano Wolf-sio receptus, et Clarissimos Viros, Edzardium, Fabricium, Wolffium, Reimarum, Richeyum et Dornemannum, per Philosophiam, Historiam, Mathematicam, et Orientis Linguas, ducentes, fecutus est; quorum publica, et priuata opera, eo profecit, ut anno clo Io cc xxxii. oratione publice dicta, Gymnasio valediceret, et Lipsiam pergere, non dubitaret: nomen literatae nostrae ciuitati tunc dedit, Rectore Boernero

nero d. VI. Maii: complexi sunt benevolentia accedenter, quicunque bonam mentem anarent; et cum Philosophiam iterum adiret, Professores habuit, Mullerum, Menzium, Gottschedium: Theologiae partes, Klausius, Deylingius, Tellerus interpretati sunt, Theticam, Polemicam, et Moralem; et in primis Tellerus oracula sacra interpretandi artem docuit; Deylingius etiam Prudentiae Pastorale regulam suppeditauit. Ioechero Historiam uniuersam enarranti, assedit: Ecclesiasticam vero, Boernerus et Deylingius, et Kortholdus reddiderunt: Ius Ecclesiasticum, quando Griebnerus, olim euoluit, eiusdem lectio-nes excepit. Hebenstreitus Orientalium Linguarum studium promovit, et Criticam Sacram Hofmannus praelegit: Klausius et Kappio auctoribus, disputando contendit; et Schelhaferus Oratoria artis praecepta dedit: In publicum prodiit anno cIo cc xxxiv. et in templo Academiae ex cathedra solemnum orationem recitauit, de iis, quae circa festum Pentecostes memorabilia sunt, quae eodem anno, et iterum, secundis curis aucta, altero, typis edita est.

## CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHAVBIUS LVCCENSIS OSTERLANDVS

**N**atus est anno cIo cc xi. XXIII. Febr. Patri Christiano, ex Matre Maria, gentis Baunackianae: ad aetatis annum duodecimum in schola patria literas didicit; inde ingressus Altenburgense Gymnasium, elegantioribus cultus est, et per octennium substitit, et doctrinas haust Weissii et Sternii, quos mors praeripuit; sed inde Moerlinum, Weberum, Gschwendum, praeceptores accepit, quorum

D omnium

omnium in se praecclara merita commendat: At postquam oratione valedixit, Lipsiam commeauit, et Philosophis, Mullero, et Ioechero, et Birnbaumio se praebuit; et ab Hofmanno Mathematicam perdidicit, prioribus Academicae diligentiae annis: posterioribus vero, ex quatuor, quos transegit, Theologiae incubuit, et Pfeiffero, Tellerio, Wollio adhaesit.

## IOANNES THEODORVS GRADIVS GEDANENSIS

**N**atales debet Maxime Reuerendo M. Danieli Gradio, Pastori Gedanensium ad aedem parochialem: Matrem habet Florentinam Virginiam, gentis Rebeschkiana. Gedani natus c<sup>lo</sup> l<sup>o</sup> cc xi. d. I. Martii, et diligente Parentum cura educatus est; literis ediscendis maturus, praceptoribus scholae Mariana creditus, qui fundamenta iacerent, inter quos primo loco Kolbium Rectorem commendat, et plurimum ei tribuit, ex humaniorum literarum studio: anno c<sup>lo</sup> l<sup>o</sup> cc xxv. in Gymnasium prouectus est publicum, et praceptores accepit Abichtum Doctorem Theologum, tunc Rectorem, et ad S.S. Trin. Pastorem, nunc Wittenbergensem Professorem, et Superintendentem Generalem, quem etiam absentem Gradius colit; Willenbergium, Kulum, Sartorium, Schelwigium, Hoheiselium, Hanouium, et Lengnichium, quorum non minima pars iam ad plures abiit; sed per omnes ita Noster prosecit, ut anno c<sup>lo</sup> l<sup>o</sup> cc xxxii. fatis ornatus Lipsiensem ingredi cum applausu posset, et a Klausfingio ciuium numero adscribi; qui et domo hospitem suscepit et Theologiae Theses, et Polemicam docuit, et Morum ex sacrae doctrinae fonte p<sup>recepta</sup>

cepta dedit: Philosophiae sacra Menzius, et Gottschedius,  
recluserunt: Oratoria arte et Poetica Schellhaferus praeiuit:  
Historiam Ecclesiasticam Kortholdus enucleauit: Sanctarum  
vero Linguarum vsum ab M. Hartensteinio comparauit:  
Exegeſeos et Morum facrorum praecepta Tellerus suggeſ-  
ſit: Hofmanno etiam in scholis Criticis adfuit, qui idem  
eloquentiae sacrae capita exposuit, quam nunc exercet.

CAR. LVDOV. VOLHARTVS  
ZITTAVIENSIS

Patre natus est Ioanne Christiano, Doctore, qui medici-  
nam Zittauiae, non minore felicitate, quam applausu  
facit; Matre Christiana Euphrosina Landsbergeria, Merca-  
toris olim Dresdensis, non incelebris, gnata: post prima  
literarum rudimenta peracta, scholam patriam ingressus est,  
et pleniorē hausit doctrinam, quam in primis moderator  
eius Godofr. Polycarpus Mullerus, suppeditauit; nec ante  
loco discessit, quam Philosophiae omnes partes confec-  
ſet: sic anno clocc xxxiii. Lipsiam contendit, et quan-  
quam Iurisprudentiae praecipue studio se dedisset, amo-  
rem humaniorum literarum tamen non depositus: ideoque  
Magistros sibi duces in primis constituit, Griebnerum, Ma-  
scouium, Andr. Flor. Riuinum, Gebauerum, Menzium, qui-  
bus procederet: sed priuata industria illa pae reliquis agit,  
quibus innato erga elegantiores Musas, amori indulgeat, et  
ingenium perpoliat.

# IOANNES IOACHIMVS SCHWABIVS MAGDEBURGENSIS

**M**agdeburgum Saxonum Metropolis, Archiepiscopalis olim fedes, nunc mercatura nobile emporium, Schwabio natalis est, Patre Ioanne, qui braxandi iure donatus, negotium exercuit: Mater est Anna Elisabetha Creutzbergia: puer in ludum literarum, in tempore dimissus est, atque a Diecmanno, Stammero, Meinekio literis imbutus: sed postquam Patris obitus familiam afflxit, varie iactatus filius, in patrio tamen Gymnasio perstittit, nec a literis se abstineri passus est; domo exceptus a Cl. Meuschelio, ordinum ducatus Magdeburgensis Syndico, vbi praceptorum habuit Ioann. Lucae, cuius memoria, post fata, ipsi sacra est. Brunswigam Meuschelius vocatus fuit, et Schwabius in contubernium admissus est Schar towii Consulis filii, cum quo exegit quinquennium integrum: praceptoribus autem usus est M. Bergnero, tunc Rectore; Walthero eius successore, cui plurimum debet; et qui in primis iuuenem dilexit, et ingenium percoluit, et re adiuuit, quod gratus testatur: Mylius, tunc Conrector fuit, qui primas Mathefeos lineas duxit: ita gnauiter agenti, datum est, ut programmata, vernacula scripto, ad solennem declamationem scholasticorum patronos inuitaret; inde tandem scholae patriae oratione valedixit, et Halam ire constituit; sed Lipsiam ante visurus, ibi, fato quasi ductus, haesit, et Klausingio anno cōcc xxxiii. Rectori, nomen dedit, quod Albo ciuium infereret: post ad Mullerum festinavit, qui Philosophiam interpretatus est: sed Gottschedius eum singulari affectu prosecutus est, et plenius edocuit, et Poesi, et Eloquentia finxit; et orationibus, et disputationibus exercitauit: Kappio Latinam Orationiam

toriam elocuto etiam adfuit: a Sanckio Hebraeam Linguam didicit; et Menzio ad Hesiodum commentato, publice se praebuit; et Ioecherum, Historiam Clerici praelegentem, audiuit; ecclesiae fata et Historiam Kortholtus repetit: nunc in primis Theologis se auditorem praefat assiduum, Boernerio, Klausingio, Pfeiffero, Tellero, Sanckio: Per otium, inter operas, Swifti elegantem satiram in Poetas recentiores humi repentes ex anglica, in patriam linguam conuertit, et annotationibus illustravit, et exemplis nostrorum auxit.

## SAMVEL ROTHER

VRATISLAVIENSIS

Patriam sortitus est Vratislauiam in Silesia literarum metropolin; natus anno clo 10 c c x. Patrem habuit Samuelem Textorem; Mater est Anna Iuditha Wunschia; illo orbatus ab ineunte adolescentia, Matris pietatem, et sedulam curam, vberius expertus est; et cum literis eum destinasset, in ludum patrium ablegauit, per cuius omnia subsellia iret; quibus emensis, in Mariae Magdalena Gymnasium prouectus est, et sub auspicio Clarorum Virorum progressus fecit, Thieleri, Galli, Thielischii, Lentneri, Thammii, Neumanni, Eberleinii, qui eum in primis dilexit, Gottwaldi; quorum in se merita omnium praedicat: sed ad altiora iam praeparatus, Rungium auscultauit, Kellerum, et Stieffium: Theologiam etiam delibauit, Teubnero Doctore: priuatam etiam elocarunt operam Leisnerus, et Iohnius, a quibus Linguae Sanctae praecepta didicit; et Lipsiam anno clo 10 cxxxiii. concessit, vbi a Rectore Klausingio iura ciuitatis literatae impetravit, et ad Philosophiam animum conuertit, et Mullerum adiit eandem

praelegentem: per Theologiae vero dogmata Klausius  
face duxit: In Hebraeac linguae studio Sankii; et Grae-  
cae Dresigii opera adiutus est: et quando Deylingius Theo-  
logus Pastoralis officii praecpta dedit, nunquam illi de-  
fuit. Tellerus vero officium christiani hominis, ex sacris  
fontibus deriuatum, exposuit: Oratoria Sacra Hoffmannus,  
et Wollius perfecerunt; et Pohlius Medicus disputando  
exercet Philosophia.

## CAROLVS CHRISTIANVS BRIEGERV

VRATISLAVIENSIS

**P**atriam natus est Vratislauum Silesiae emporium, bonae  
mentis altricem; Patrem Christianum Bartholomaum,  
Mercatorem, cuius mortem eo acerbius luget, quo maior  
in educando filio eura fuit. Matre natus Rosina Elisabe-  
tha, Ieremiae Ottonis, Pastoris olim Goerlicensis filia, cu-  
ius omnibus votis respondere virtute strenue allaborat no-  
ster: puer priuatim praefecti sunt paedagogi, Wildseuer-  
rus, Klippelius, et Wincklerus, a quibus in Elisabethanum  
Gymnasium dimissus est, Arletio, et Stephano, commen-  
datus, quibus vterius progressus est, Teubneri, et Burgii  
legibus obsecutus: et altius haeret Kranzii memoria, cui  
plurimum se debere pius profitetur: nec minus Pohllo, et  
Deichselio, quorum illi Linguae Hebraeae cognitionem tri-  
buit, et vberrimis laudibus extollit in se merita, et Raschii be-  
nevolentiam praedicat: sed horum ope, et consilio Lipsiam  
emigravit auctus Illustris Senatus Vratislauiensis, et Mercato-  
rum Tribus Seniorum munificentia: Lipsiae ciuibis adscri-  
ptus, Rectore Klausio, tribus abinde annis. Philosophiam  
docentes Mullerum, et Gottschedium audiuit. Ioecherus  
Historiam Ciuilem reddidit: Lingua Hebraea Hebenstreit  
-sioriq

tius,

tius, Keyselizius, et Sanckius imbuerunt; Pfeifferus et  
Wollius sacram Theologiae doctrinam explicarunt: et Dey-  
lingius Pastoralis munera praecpta dedit, et Historiam Ec-  
clesiasticam suppeditatuit, qua etiam Kortholtum aufultat:  
Exegeti sacra, Morali theologica, et Homiletica, Tellerus  
praefuit. Matheseos capita, et difficiles nodos Bosius, et  
Heinsius soluunt.

## CONSTANTINVS FRIDERICVS MEISIVS

**N**atus Schleusingae Hennebergiae anno clo Io cc xv. die  
XV. Aprilis, Patre Summe Reverendo, Friderico Er-  
nesto, Theologo, Consiliario Ecclesiastico, et Superinten-  
dente Schleusingensis dioecesenos, a priuatis praceptoribus  
satis instructus in patrium Gymnasium receptus est, et  
ab infimis subselliis, per omnes classes ductus, ad summam  
adscendit, praceptoribus, Gabizio, Walchio, et Schadio,  
qui rebus humanis exemptus est; anno vero clo Io cc xxxii.  
a consistorio dignus iudicatus, ut ingredetur Academiam,  
vbi Salanam praetulit, atque a Russio Doctore Hebraeam  
linguam didicit; Kromaierus filium Linguae Latinae duxit;  
Historiam Literariam Stollius explicavit, Buderus omnem  
Historiam enarravit; et Hallbauerus oratoriae praecpta  
dedit; Wideburgus Mathesi confirmauit, et omnem Phi-  
losophiam Reuschius absoluit, qui et priuatissima opera to-  
tam repetit, et Theologiae omnes partes subiunxit: In-  
de Lipsiam concedere iussus est, et anno clo Io cc xxxv.  
appulit, et id in primis agit, ut priuata industria Schir-  
schmidio duce Algebrae arcana penitus perquirat; nuper  
etiam ex cathedra publice disputauit, Ioechero Praeside, de  
discrimine, et vniione memoriae sensualis cum intellectuali.

CHRI-


# CHRISTIANVS GOTTOFR. RICHTERVS

NEOSTADIENSIS MISNICVS

Patre genitus Adm. Reuerendo M. Georg. Gottofredo Richtero, Neostadiensium, et Grisbacensium Pastore; Matrem agnoscit Burgeriam, ex qua anno clo Io cc xv. d. XXVII. Nouembr. natus est: Postquam domi primas literarum lineas domestici praecceptores duxerunt, Schnebergam, domo emissus est, ubi triennii spatio per subsellia ascendit, ab Hofmanno, et Dopperto, viris, praecclare, de literis, et iuuentute meritis, perductus, ita quidem ut prior, sanguine coniunctus, Orientis Linguarum cognitio ne imbuueret; posterior omnis humanitatis adminicula suppeditaret; quibus abunde instruetus Wittenbergam properauit, et Theologie studio se totum mancipauit, et Schroerum, et Zeibigium, Doctores, frequenter adiit, et studiose auscultauit; sed neque Philosophiam intactam dimisit, verum Reinhardum, Baumeisterum, et in primis Crellium, audiuit docentes; et ipse dissertationem scripsit, de Signo Crucis ex Templis nostris non eliminando. Lipsiam venit, quo dignus Laurea iudicatus, ab inclito Philosophorum Ordine, summos honores, diligentiae et virtutis premium caperet, quod suo merito impetravit.







Leipzig, Diss., 1735 A-Q

ULB Halle  
004 758 757

3



Sb.

f

10478







26.  
C.W.  
1735, 19.  
F.F.

FRVCTVS PACIS  
**XXII. CANDIDATI**  
QVI  
**MAGISTRI CREATI SVNT**  
MAGNIFICO ACADEMIAE  
RECTORE  
**IO. FLORENTE RIVINO**  
PANDECTORVM PROFESSORE PUBLICO, ECCLESIAE  
NVMBVRGENSIS ET WVRZENSIS CANONICO, ILLVSTRIS  
ICTORVM COLLEGII ASSESSORE, HEREDITARIO DOMINO  
in Neu-Muckershausen REL.  
**PROCANCELLARIO**  
**CHRISTIANO GOTTLIBIO**  
**IOECHERO**  
DOCTORE THEOLOGO HISTORIARVM PROFESSO-  
RE PUBLICO MAIORIS PRINCIPVM COLLEGII SOCIO  
**ET**  
**DECANO**  
**AVGVST. FRID. MULLERO**  
ORGANI ARISTOTELICI PROFESSORE MINORIS  
PRINCIPVM COLLEGII SOCIO  
CANTATI  
**A**  
**FRID. MENZIO P.P.**

LIPSIAE  
LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMI.

